



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

ij. An possit Iudex laicus confugientem ad Ecclesiam in casibus exceptis ex
illa extrahere sine licentia Episcopi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

cario Capituli; quia sede vacante hic succedit in iurisdictionem Episcopi. Et dum Gregorius requirit licentiam viciniore Episcopi, vel eius Officialis, intelligendus videtur solum respectu loci nullius diocesis, non verò respectu loci alicuius diocesis, cuius Episcopalis sedes vacet.

Petes tertio, an licentia requiratur expressa, & non sufficiat tacita?

13 Respondetur affirmatiue; patet ex dictis supra, ex Bulla Gregorij XIV. ibi: *ine expressa licentia*, &c. quapropter minus recte dixit Gambacurta lib. 8. cap. 10. num. 7. sufficere tacitam.

Petes quarto, an Episcopus, vel eius Officialis renuens concedere facultatem extrahendi in casu, in quo confugiens ad Ecclesiam priuilegio immunitatis gaudere non debet, incurrat excommunicationem præsentis Bullæ Gregorij XIV.

14 Respondetur, quod licet Gambacurta lib. 8. cap. 11. num. 3. affirmet, negandum tamen sit; quia quamvis Episcopus, postquam cognouerit confugiensem ad Ecclesiam non gaudere priuilegio immunitatis ex eo, quod commiserit delictum exceptum, debeat facultatem reum extrahendi concedere, non tamen facultatem istam denegando, excommunicationem incurrit, cum hæc imponatur ob violationem immunitatis, quam hic, & nunc Episcopus non violat, sed potius nimis seruare prætendit.

SECTIO II.

An possit iudex laicus confugiensem ad Ecclesiam in casibus exceptis ex illa extrahere sine expressa licentia Episcopi.

SUMMARIVM.

- 1 Index laicus non potest sine sacrilegio & censura reseruata sine licentia Episcopi, vel eius officialis extrahere; secus est illis culpabiliter in casibus exceptis consentire nolentibus.
- 2 Index secularis, donec non fuerit cognitum, an delictum sit de exceptis, non potest ad proprios carceres reum ita extrahere, sed debet interim eum custodire in carcere Ecclesiastico.
- 3 & 4. Index laicus etiam si notoriè constet delictum esse de exceptis, adhuc non potest propria auctoritate sine Episcopi licentia athena Constitutione citata reum extrahere, alioquin sacrilegium committit, & excommunicationem ipso facto Papa reseruata incurreret, & reus Ecclesia restituendus erit.
- 5 Notorium regulariter releuat ab onere probandi; secus tamen est quando probatio requiritur pro forma.
- 6 Publicatio resignationis Beneficij est facienda, licet notoria sit resignatio.
- 7 Reus extractus ab Ecclesia non seruatis seruandis, etiam si confessus fuerit se delictum exceptum commisisse, adhuc est restituendus Ecclesia, ob non seruata formam Gregorij.
- 8 Index ex recepta consuetudine aliquibus in locis legitime prescripta potest in casibus tamen exceptis sine licentia Episcopi reum extrahere a loco sacro.
- 9 Ecclesia videtur in tantum posse reum defendere, in quantum gaudet immunitate, quasi non gaudeat, non est cur ipsum defendat.
- 10 Ecclesia non est locus exemptus à iurisdictione laicali in casibus exceptis, qui eius immunitatem non concernunt, sed solum in casibus non exceptis.

11 Index secularis nec licitè, nec validè potest iudicium exercere, nec sententiam ferre in Ecclesia.

EX dictis sequitur, quod non possit (absque eo quod sacrilegium committat, & censuram Gregorij XIV. reseruata contrahat) iudex laicus confugiensem ad Ecclesiam in casibus exceptis ab illa extrahere sine expressa licentia Episcopi, vel eius officialis (id est Vicarij generalis, vt ex Clement. 2. de rescripti, dicebam sect. præcedentis num. 4.) quamvis si Episcopus, vel eius officialis in tali casu requisiti, culpabiliter noluerint consentire, possit iudex laicus reum è loco sacro extrahere, & in carcere Ecclesiastico reponere, quousque per Episcopum, vel eius superiorem, vtrum reus gaudere debeat immunitate, cognitum fuerit. Nunquam tamen poterit iudex secularis reum ad proprios carceres interim transferre, ibique condemnare. Vide citat. Constitutionem Gregorij XIV. & Farinacium in append. de immunit. cap. ult. num. 359. Mar. Ital. lib. 1. cap. 6. num. 8. & segg. Genuesem in praxi, cap. 17. Bonacinam disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 7. num. 3. Scott. Theor. 386. Ambrosin. de immunit. cap. 11. num. 1. & cap. 14. per totum, Dianam part. 4. tract. 1. resol. 42. & Lezanam verb. immunitas Eccles. num. 28.

Et hoc, quod modò dixi, quod scilicet non possit Index laicus confugiensem ad Ecclesiam in casibus exceptis, ab illa extrahere sine expressa licentia Episcopi, vel eius officialis (si loquamur attenta Constitutione Gregorij XIV. quæ vt dicebamus, ex probabiliori sententia Doctorum vbique obligare videtur, etsi nonnulli Doctores (inter quos Cuthellius lib. 1. de immunit. Eccles. quest. 1. num. 50. & quest. 14. num. 3. & segg.) negent illam obligare in Portugallia, in Hispania & quibusdam aliis locis, ex eo quod ibi non sit vsu recepta) certum & indubitatum videtur, etiam si notoriè constet, reum confugiensem ad Ecclesiam delictum exceptum commisisse; quia adhuc seruanda est forma dictæ Constitutionis Gregorij XIV. quod scilicet Episcopus debeat prius cognoscere, an reus confugiens ad Ecclesiam commiserit delictum exceptum, & postea Curte seculari illum resignare; alioquin extrahentes sacrilegium committent, excommunicationemque ipso facto Papa reseruata incurrerent, & reus Ecclesiæ restituendus erit.

Ratio est, quia licet notorium regulariter releuet ab onere probandi, cap. manifesta, & cap. seq. 12. q. 1. cap. euidenter, de accusat. cap. vestra, de cohabit. cler. & mulier. & l. 1. ff. ex quibus causis maiores, & docent ex communi Farinacius quest. 116. num. 66. & Cuthell. in Cod. Siculo ad leges Martini, nota 50. num. 7. id tamen non releuat, quando probatio requiritur pro forma.

Atque sic docent Satnenfis in regula de publicandis resignationibus, quest. 9. Parisius de resignat. beneficij, quest. 6. num. 81. (qui dicit esse communem, & propterea ait à simili publicationem resignationis beneficij esse faciendum, licet notoria sit resignatio.) Genuesis in praxi, cap. 22. n. 5. Riccius part. 5. collect. 1792. Lazar. tr. 8. de blasphem. quest. 5. n. 71. Filliuc. tom. 1. tract. 15. cap. 6. num. 154. Duard. in Bull. Cæna lib. 2. can. 15. quest. 16. num. 31. Chartarius decis. crimin. 46. num. 87. Ciarlinius in controuers. forens. lib. 1. cap. 10. num. 37. Farinac. in append. de immunit. cap. 22. n. 359. Megalius in 3. part. lib. 4. cap. 2. quest. 1. n. m. 31. Rayner. in Catal. censur. cap. 9. excommunic. 31. notab. 3. Zipæus lib. 3. de immunit. Eccles. num. 12. Ambrosin. de immunit. cap. 11. num. 1. Simon Rao in respons. ad dubia super immunit. Eccles. fol. 27. citans Cynum, Aufferium, Vulpellum, & Syluestrum: Peregrinus de immunit. cap. 14. num. 6. Diana part. 1. tract. 1. resol. 14. Remigius de immunit. Eccles. q. fin. & Suarez in prax.

prax. 1. part. tom. 1. cap. 3. §. 3. num. 16. (ita ut sub-
7 dant hi ultimi Doctores, quod etiam si reus ipse po-
stea confessus fuerit se delictum exceptum commisisse,
restituendus adhuc Ecclesiae sit: quia adhuc in ex-
tractione forma Constitutionis Gregorij XIV. ser-
uata non fuit, & Ecclesia spoliata ante omnia restitui
debet, cap. conquereute, & cap. item cum quis, de resti-
tutione spoliatorum) quamvis contrarium teneant Co-
uarru. lib. 2. var. cap. 20. n. 18. Clarus lib. 5. q. 30. §. fin.
num. 20. Decian. lib. 6. cap. 29. num. 4. Farinac. de car-
cerib. q. 28. num. 75. retractans tamen seipsum in appen-
dice loc. supra cit. Boërius decis. 109. num. 2. Acuña
in decret. Gratiani, part. 1. diss. 87. cap. 6. num. 7. Correa
in relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part. 4.
num. 10. Guillelmus de Benedictis in repet. cap. Raymu-
rius, verb. & uxorem, num. 444. Gambacurta lib. 6. cap. 14.
& lib. 8. cap. 10. Villadiego in Polit. cap. 3. num. 238.
Guido Papæ decis. 121. num. 1. Sarpus de iure Asyl-
orum, cap. 6. fol. 61. 62. & 67. Iustus Oldesob. in pract.
crimin. tit. 3. caut. 17. num. 3. Martinus del Rio disquis.
Magicar. lib. 5. sect. 7. vers. Capi fornicarios, Catrafc. ad
recopilat. cap. 3. Henia part. 3. §. 12. num. 57. Bellug. in
specul. Princip. rub. 11. §. sed quia, lit. I. Bobadilla lib. 2.
cap. 14. num. 94. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1.
quaest. 1. num. 50. & q. 14. num. 3. & Suarez de relig. tom. 1.
tract. 2. lib. 3. cap. 13. num. 1. quorum tamen aliqui
loquuntur autem Constitutionem Gregorij XIV. aliqui
autem, licet loquantur etiam post illam, id asserunt,
quia præcedunt, dictam Constitutionem Gregorij
XIV. quoad hoc, vel non esse vfu receptam; vel dato,
quod à principio fuerit vfu recepta, nunc contra ipsam
legitimè esse præscriptum; quod an sit alicubi verum,
viderint ipsi, qui id affirmant; quia si ita est, non au-
deo id ibi damnare; sicut dicebam etiam cap. 6. du-
bit. 24. sect. 5. & 8. & dubit. 26.

8 At (si loquamur, Constitutione Gregorij XIV.
præcisa, vel alicubi ea à principio non vfu recepta, vel
licet à principio fuerit vfu recepta, modò ibi legitimè
præscripta) probabile est etiam oppositum, quod
scilicet possit Iudex secularis in casibus clarè exceptis
reum sine expressa licentia Episcopi, seu inconsulto
Episcopo ab Ecclesia extrahere, saltem ex recepta sic
quadam consuetudine. Atque ita docent Abb. An-
cheran. Bart. & alij, quos refert, & sequitur Boërius
decis. 109. num. 1. & 2. Couar. Clar. Suar. Cutellius,
Sarpus in locis supra cit. Guido Papæ decis. 121. Fagun-
dez in Decal. tom. 1. lib. 5. cap. 1. num. 22. Decian. tract.
crim. lib. 6. cap. 29. num. 4. Farinac. de carcerib. q. 28.
num. 75. & Azeved. lib. 1. tit. 2. leg. 3. num. 29. idque ex
eo, ne Ecclesiastici faciant interim reum aufugere, &
9 quia Ecclesia in tantum videtur, quod possit defen-
dere reum, in quantum ille gaudet immunitate; ergo
si non gaudet, non est cur eum defendat.

Neque obstat, quod Ecclesia sit locus exemptus à
iurisdictione laicali (vbi probat Tuschus verb. Ecclesia,
concl. 5. n. 10.) quapropter non possit Iudex laicus ibi
capturam, quæ est actus iurisdictionis, exercere.

10 Respondetur enim, quod Ecclesia non sit locus
exemptus à iurisdictione laicali in casibus exceptis,
qui eius immunitatem non concernunt, sed solum in
casibus non exceptis, vti colligitur ex cap. 1. de im-
munit. Eccles. in 6. verb. etiam ipsa Ecclesia; vbi habe-
tur, quod Ecclesiae sint in territorio Principis sæcu-
laris; quod saltem intelligi debet circa casus eius im-
munitatem non concernentes; quamvis non possit
11 ibi Iudex secularis, nec licitè, nec validè iudicium
exercere, vel sententiam ferre, vti statuitur in cap. de-
cet, §. ordinarij, de immunit. Eccles. in 6. ibi: Processus
Iudicum secularium, ac specialiter prolata sententia in
eisdem locis (scilicet Ecclesiis) omni careant robore fir-
mitatis.

SECTIO III.

An, & quid dicendum sit de iure
communi?

- 1 De iure communi probabilius est quod Iudex sæcu-
laris non possit in casibus clarè exceptis reum sine li-
centia Episcopi, seu inconsulto Episcopo ab Eccle-
sia extrahere.
- 2 Tam in lege civili quàm canonica prohibetur Potesta-
tibus secularibus inuitum ab Ecclesia extrahere, ca-
pta sacerdotis absentia.
- 3 Neque de iure Canonico permittitur in casibus exce-
ptis reum Curia seculari tradi, nisi recepto prius
iuramento de eius impunitate corporali.
- 4 Item de iure canonico datur facultas iudici seculari
reddendi Ecclesie reum extractum, sine consensu
sacerdotis, quod etiam procedit in publico la-
trone.
- 5 De iure Casareo si maritus innenerit in Ecclesia ho-
minem sibi de adulterio suspectum cum uxore sua
loquentem, debet ambos defensori Ecclesie tra-
dere, ut seruentur, donec secularis Iudex, qui de
hoc cognoscere debet, inquirat Episcopum, et illos
ipsi tradat.
- 6 De iure Casareo licet reus per iudicem laicum pos-
sit, si cum armis ad Ecclesiam confugerit, inde ex-
trahi, non tamen poterit inconsulto Episcopo.
- 7 Captura reorum est actus iurisdictionis, qui in Eccle-
sia, et potè de alieno Territorio, à Iudice laico exer-
ceri non potest.
- 8 Crimina excepta ab Ecclesia non proteguntur, non
tamen rei in ipsa possunt capi, ligari, & extrahi
sine licentia Prælati Ecclesiastici.
- 9 Licentia licet regulariter peti debeat ab illo, à
quo negari potest, tamen debet peti à Iudice Eccle-
siastico, qui illam negare non potest, ne generetur
confusio.
- 10 Episcopus non potest denegare licentiam Regularibus
predicandi in suis Ecclesiis, & tamen illam ab eo
petere debent, & ex Tridentino sufficit petita, &
non obienta.
- 11 Prælati Religionis saltem de iure communi, non
potest suis Religiosis negare licentiam transeundi
ad religionem strictiorem, & tamen illam ab eo
petere debent, & sufficit petita, & non ob-
ienta.
- 12 Damnatur capitulum 75. Alphonsi Regis in Sicilia
de indebita extrahitione reorum contra immunita-
tem Ecclesiasticam.
- 13 Reus dum non constat an immunitate gaudere debeat,
necne, non potest per Iudicem laicum extrahi sine
Episcopi licentia.

Respondetur, quod dixi præcisa Constitutione Gre-
gorij XIV. probabile esse, quod possit Iudex sæ-
cularis in casibus exceptis, reum sine expressa licentia
Episcopi ex Ecclesia extrahere, saltem ex recepta
sic quadam consuetudine; quia spectato iure com-
muni etiam probabilius est, quod non possit Iudex
sæcularis in casibus clarè exceptis reum sine expressa
licentia Episcopi, seu inconsulto Episcopo, ab Ec-
clesia extrahere: quod & docet Salicetus in l. si quis ei,
n. 6. Cod. de adulter. Belluga in specul. Princip. rubr. 11.
§. & quia, num. 27. & probatur, quia in cap. frater 17.
quaest. 4. prohibetur Potestatibus secularibus inuitum
ab Ecclesia extrahere, capta Sacerdotis absentia:
ergo signum est, quod requiratur sacerdotis præsen-
tia, & consensus; in idem est sensus cap. inter alia, de
immun. Eccles. & in cap. id constitutum, in cap. reum,
non